

ponantur, fortasse plus difficultatis restabit. Etenim si primum sacrificiorum horum Autorem DEUM T. O. Maximum intuemur, necessariò colligimus, illum, ceu sapientissimum ac sibi accuratè semper conformem; non instituisse cultum ἀλογον, aut sanæ rationi, cuius & ipse DEUS autor est, verà repugnantem: sed ut potiùs ratio sana in his, quæ peculiari præcepto positivo à Deo ordinata sunt, congruentiam quandam inveniatur; licet ipsa ex suis principiis talia, velut ad cultum Deo placentem pertinentia, colligere aut excogitare non potuerit. Deinde certum est, DEUM præscribendo sacrificia non spectasse Ceremonias nudas, sine omni ad spiritualia accommodatione, & nihil in recessu habentes: verùm opera illa externa, relationem aliquam habuisse ad res sublimiores; atque ipsos qui talia celebrarent, non solùm animo religioso ad autorem rituum istorum; verùm etiam ad anti-Typum sub figuris atque umbris illis latentem, ac suo tempore manifestandum spectare debuisse.

§. 27. Ponderarunt hoc quidam Interpretum & monuerunt, h. l. non tam cultum ipsum N. T. opponi cultui V. T. sed tantùm materiam materiæ. *Erasmus* ad h. l. & quidem ad verba λαρείων λογικῶν scribit; *Ut ostenderet* (Apostolus) *Christianorum cultum dissimilem esse Judaicis ceremoniis quibus immolabant brutas pecudes, adjecit rationale, nimirum ipsum hominem sentiens, qui victima est rationalis, & ob id Deo acceptior.* Et *Grotius*: λαρεία ἱεροῦ Levitica erat δὲ ἀλόγων, id est per pecudes. Nam omnia muta animantia ἀλογα vocantur Sap. XI, 15. in Glossis animalia ζῶα ἀλογα. Hinc ἀλογόθεν in Canonibus. Nos verò offerimus corpus, in quo est animus rationis excellentissimæ compos &c.

§. 28. Quibusdam videtur, ac si D. Paulus oppositionem secundùm magis & minus instituisset, sc. quod in V. T. cultu non æquè apparuerit convenientia cum ratione, quemadmodum